Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 225
Quelle:
Copyright:

ſeruiſſet, ſe *Cantica Cantic. miro modo* expoſuiſſe. Itaque C. illud *ultimum* a poſteriore quodam additum eſt, quemadmodum id ad *Iſidorum* a pluribus factum eſſe videmus. Obſerva praeterea *Honorii de Imagine Mundi Librum* III. chronologicum ſub finem nihil niſi *Germanica* tractantem. Conſidera frequentiam *Mſſ. Honorii* in *Germania* longe majorem, quam ullibi. Expende, an Opuſculum inſcriptum *Summa Gloria de Apoſtolico et Auguſto* non manifeſte diſſidia Pontificum cum Imperatoribus *Rom. Germ.* reſpiciat, quae parum ſane ad *Gallum*. Denique, ut ad *Codicem* redeam, ubi facile reperies, *Simonem Cunoni* in Abbatis munere ſucceſſiſſe, niſi in *Salisburgenſi* D. *Petri* Coenobio an. 1262.—70. Examinent, quibus vacat, *Honorii* Scripta cum in *Bibl. PP. Lugd.* T. XX. a p. 963. tum T. II. *Anecd. Bern. Pezii* a *Col. 69.* adhibitis in conſilium *Trithemio*, *Caveo*, *Fabricio* et T. IX. *Franciae literat.* Mihi dubium ad alios *Honorii* Codices preſſum, ad hunc vero invaleſcens moviſſe ſufficiat. Jam ad ipſam *Canticorum Expoſitionem*, quae, ut dixi, proſtat *Bibl. PP. Lugd.* T. XX. p. 1153. In hac Editione prolixus Prologus inutiliter in plures diſtinctus eſt; in Codice continuus decurrit, et finit: *Hęc igitur ſponſa aduentum ſponſi deſiderans dicit.* Liber I. nobis inſcribitur: *de filia pharaonis*, et pictura caret. II. *de Sponſa Auſtri. Scilicet de Filia Babylonis*, et Iconiſmum praefert, quo illa pari Camelorum inſidet, *Philoſophis* frena ducentibus, et ſequentibus *Apoſtolis*, atque *Martyribus* cum lemmate:

Preconata melis. adducitur ecce camelis.
Auſtri regina. reparatur priſca ruina.

III. *de Sunamite*, quae repraeſentatur curru *Sacerdotis Aminadab* vecta, *Prophetarum* et *Apoſtolorum* capitibus e phaleris equorum prominentibus, 4. rotis totidem *Evangeliſtarum* ſymbola exhibentibus, et *Judaeis* currum ſequentibus. Supra:

Que fuit immitis. manſueta redit ſunamitis.
Hec prius abiecta. regnat captiua reuecta.

Demum IV. *de Sponſa Aquilonis Scilicet Mandragora*, cujus Iconiſmus corpus exhibet, cui adſtantibus hinc *Adoleſcentulis*, illinc *Amicis Sponſus* caput imponit, alio capite cornuto refecto humi jacente, quod e Commentario *Antichriſti* eſſe intelligimus. Inſcriptio: